

Andreas Kratander¹⁾ an Vadian.

Basel. 1520. December 12.

Dringende Bitte, die Commentare zu Mela dem Überbringer beförderlich mitzugeben,
damit sie rechtzeitig im Drucke erscheinen können.

S. D. Gratissimæ tuæ mihi literæ fuerunt. Neque ab re; animum enim tuum in me immeritum et ignotum adeo propensum testatæ sunt, ut illius candorem atque humanitatem non modo amare, verum etiam suspicere cogar. Sed rursus illum ipsum nuncium ad te mitto, ut commentaria abs te in Mela m edita^{a)} tandem adferat. Profecto nihil temporis pro his imprimendis reliquum esse vereor. Audeo dicere: nisi ante diem natalem Salvatoris nostri easdem tuas vigiliis in manibus meis habeam, impossibile fore, ut ad nundinas Frankfordienses proxime venturas ad umbilicum deducantur. Quapropter rogo, ad me des hoc la-

tore Pomponii exemplar una cum tuis lucubrationibus, ad unguem tua opera recognitum, ne posthac reperias, quod vel asterisco notatum vel obelo transfossum malueris. Ego id, quod meum est, curabo sedulo, ut emendate eleganterque tuæ editiones^{a)} in lucem exeant. Vale, et Cratandrum inter tuos numera. Ex Basilea, pridie Idus Decembris, anno MDXX.

Andreas Cratander.

Domino Ioachimo Vadiano, viro humanissimo atque suo amico optimo.

Apud Divum Gallum.

a) „æd.“

!) Vrgl. Brief 183.